



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentaria Ac Disputationes In Primam Partem Divi Thomae

Cvm Variis Indicibvs

De Deo Effectore, Creaturarvm Omnivm Tractatvs II. De Opere Sex
Diervm, Ac Tertivs De Anima

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1622

X. Quid sit potentia generatiua, & an distinguatur à nutritiua.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93575](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93575)

esse distinctas, vt Viguerius, & Apollinaris supra, & ex medicis nonnulli. Alij esse ipsum calorem naturalem, vt Fernelius lib. 5. Physiologiae, cap. 4. quod tamen diximus videtur probabilis: ac forte prima opinio posset ad hunc sensum explicari, nempe quod praeter temperamentum disponens materiam cibi necessaria sit specialis virtus animae vegetantis, quae distribuatur alimentum, trahendo ad singulas partes, ibique retinendo, & expellendo superflua: quo quidem modo dici posset eam potentiam dirigere moderatque actionem caloris naturalis: attamen quidquid sit de sensu opinantium, quod à nobis expressum est verum videtur: oportet tamen addere virtutem attrahentem diuersae rationis apparere in membris diuersis, diuersitatemque magnam in huiusmodi actionibus praeseferentibus, sic in hepate specialis virtus apparet ad trahendum chylum in renibus, alia distincta ad trahendum serum, & in liene similiter, &c. sicut in diuersis herbis diuersa est virtus iuxta diuersitatem tractionum, & actionum.

Iam ad argumenta primae opinionis. Ad primum locum Aristotelis patet expositio ex dictis: vel forte eo loco per facultatem animae intelligit Philosophus principalem illius virtutem. Ad secundum locum respondetur Aristotelem per nutrimentum intellexisse instrumentum separatum: calorem verò coniunctum, vt exponunt Themistius, Simplicius, Commentator, & alij. Ad primam rationem dicto potentiam nutritiuam, si sumatur pro virtute assimilatrice esse ipsam animam realiter: si pro virtute trahente alimentum, esse passionem animae à calore distinctam: si pro virtute disponente, ipsum esse temperamentum viuents, quod in diuersis viuents est diuersum. Ad secundum iam tribuimus animae virtutem quandam perfectiorem, ac temperamentum ipsum perfectius est, neque est opus alia virtute, quia nutriendi actio inter vitales infima est. Ad tertium potius nutritiua virtus remittitur, atque intenditur ad intentionem, & remissionem caloris, vt experientia docet. Ad quartum exempla sunt falsa, nam sensorium sensus non est instrumentum effectiue concurrens cum sensu ad actionem, sed subiectum est potentiae, quod oportet commode dispositum esse: dicitur autem organum, quod sit instrumentum animalis, non vero potentiae.

Ex his colligitur quid dicendum sit de potentia augmentatiua, cum enim nutritio, & auctio eadem actio sint, eadem etiam erit potentia. Primo, quia qua virtute alimentum conuertitur in substantiam aliti, eadem acquiritur quantitas illius, quae si sit maior, quam perditur, dicitur augmentatio. Secundo, quantitas non producit nisi cum substantia: eadem ergo virtus est acquisitiua substantiae, & quantitatis. Tercio virtus productiua quantitatis non est alia quantitas: est ergo eadem virtus, quae producit substantiam. Antecedens certum videtur apud omnes, qui profecto nullam physicam actionem quantitati tribuunt. Consequentia verò inde suadet, quia quidquid aliud assignetur, posterius est augmentatione, ac proinde principium illius esse non poterit. Confirmatur etiam exemplo ignis, nam eadem virtus nutritur, & augetur suo modo. Atque haec est sententia Aristotelis 1. de generat. cap. 5. ubi ait nutritionem, & auctionem esse eandem actionem, & alibi saepe, sicut calori naturali tribuit nutritionem, & augmentationem, vnde cap. 4. de sensu, & sensibili ait eadmodum augere, idem repetit 3. de partibus, cap. 6. consentit Philoponus 2. de Anima, fol. 49. col. 3. Themistius c. 17. Durandus in 1. dist. 3. p. 2. quaestione 2. art. 1. oppositum quidem insinuat Albertus 2. de Anima, tract. 2. cap. 9. & tenet aperte Venerus, & Thienensis textu 50. Iandunus q.

13. Apollinar. quaest. 9. Iauellus quaest. 18. Sed fortasse putarunt hi auctores actionem nutritiuam, & augmentatiuam esse distinctas omnino, ac minime subordinatas, quod cum falsum sit, constat eandem virtutem ad eas ordine suo exercendas sufficere, cum vulgare sit in philosophia actionem vel effectum primum, & secundarium, virtutes distinctas non arguere.

Oppones tamen. Si potentia augmentatiua ipse est calor naturalis: ergo quando calor ille durauerit, ac viguerit, tandiu durabit augmentum: consequens verò falsum est. Nam pueritia tempus est augmenti, teste Galeno, & Auicenna, non autem iuuentus, & tamen non minus viget calor in iuuentute, quam in pueritia. Respondetur ex Alberto supra cap. 6. discrimen esse, in pueritia enim membra sunt mollia, quod necessarium est, vt alimentum possit per illa discurre, omniaque augere: at in iuuentute iam membra duriora sunt propter maiorem exsiccationem, & hinc est, quod pueri plus, quam dimidium suae quantitatis circa septimum annum obtineant, postmodum verò procedit augmentum usque ad vigesimum primum remissius communiter loquendo: post vigesimum primum verò non fit augmentum secundum longitudinem, quod ossa multo duriora sunt, procedit tamen secundum latitudinem crescente & pinguescente carne, quae mollior est. Vnde colligi potest ratio, quare plus alij, quam alij crescant stante aequali calore naturali, nam quidam exiguum habent humiditatem, multam verò siccitatem, ideoque à principio ossa habent duriora, quae difficilius dilatari valent.

Querat fortasse aliquis, an potentia augmentatiua, & nutritiua late formaliter distinguantur. Respondemus negatiue proprio loquendo. Habent ergo se, vt eadem potentia existens in diuersis statibus, sicut etiam accretio ipsa, & nutritio formaliter non distinguuntur: sed per diuersos respectus. Vrgeris augmentatiuam posse auferri manente nutritiua. Sed non recte, vt plurimum enim vigor illius potentiae flaccescit, eadem quoad entitatem suam permanente.

C A P V T X.

Quid sit potentia generatiua, & an sit à nutritiua distincta.

In hac quaestione quidam sine distinctione opinantur huiusmodi potentiam esse qualitatem quandam realiter distinctam à potentia nutritiua, & ab alijs, quam videntur sequi expositores de Anima, textu 42. Alij verò credunt esse eandem cum nutritiua, quod insinuat ibidem Egidius, & aperte tenet Valles lib. 2. controueriliarum, cap. 17. Sed in hac parte oportet vti distinctione, vt notauit Albert. tract. 2. cap. 7. Nam in generatione viuents duae interueniunt actiones, prima est formatiua seminis ex materia sanguinis. Secunda est formatiua membrorum viuents generandi: secunda est actio generandi membra viuents ex materia seminis, in ipso autem semine duae substantiae includuntur distinctae habentes formas, nempe substantia materialis, & crassa, & substantia spiritus in illa plantati: vnde in prima actione includuntur duae productiuae talium substantiarum, quibus omnibus actionibus attribui debet aliqua virtus. Quare triplex insurgit quaestio, prima, an virtus formatiua seminis, quantum ad partem materialem, & crassam, sit eadem cum virtute, qua generans se alit? Secunda quae sit virtus formatiua dicti spiritus inclusi in semine? Tertia, quae virtus subiectionis postea in semine ipso, per quam possit corpus organicum effici.

Dico

Penet. B. alii aduersarij rescribunt.

18. Obiectio contra paulo ante resoluta.

Responsio ex Alberto.

Varietas in accrescendo, tum in eodem, tum in diuersis, vnde.

19. Nutritiua, & augmentatiua nec formaliter distinguuntur.

1. Prima opinio quorundam expositorum.

Notatio ex Alberto pro resolutione.

Triplex in enodanda quaestione.

2.
A. 1. 1. 1.
pro prima
quaestione.

Probatum 1.

Secundo.

Tertio.

Quarto.

Quinto.

3.
Circa tertia
quaestione
arguitur.
quod virtus
formativa
residens in
semine non
sit ipsa nu-
tritiva.

Enasio.

Instatur.

4.
Circa secun-
dam qua-
estione ar-
guitur, quod
vivens alia

Dico primò. Virtus ad formam illam materialem feminis est eiusdem rationis cum virtute nutritiva existente in quadam parte viventis. Ad probationem huius suppono, huiusmodi virtutem formativam feminis non esse dispersam per omnia membra corporis, sed esse in determinata parte. Hoc supposito probatur conclusio primò. Semen ipsum est ultimum alimentum illius partis, & membri: ergo fit à virtute nutritiva illius. Antecedens probatur primò ex omnimoda similitudine inter substantiam feminis, & substantiam illius membri, hoc enim argumèto evidenter colligitur, quo succo vnaquaque pars viventis nutritur, sic probavimus alibi chylo nutriri ventriculum, sanguine hepatis, vbera lacte. Secundo. Nam est optima institutio nature quòd illo succo nutriatur aliqua pars, quam ipsa elaborat, sed illa pars habet virtutem elaborandi sanguinem vsque ad formationem feminis: ergo nutritur illo: alias duas oporteret habere actiones circa sanguinem: vnam qua nutrireretur, aliam qua semen efficeret, quod superfluum est, neque intelligitur quòd vnam, quandoque aliam exerceat, cum agens sit naturale, & materia eadem, & eodem modo applicata. Tertio. Nam pars illa quæ semen efficit non agit in sanguinem nisi medio suo temperamento, agit enim assimilando sibi, sed temperamentum illud est virtus nutritiva, vt ex superiori capite constat: ergo, &c. Quarto arguitur. Nam idem est de generatione lactis in feminis, & de formatione feminis, sed lac fit media actione temperamenti alicuius partis, scilicet vberum, quæ lacte nutriuntur, alias innumere virtutes, & potentie essent multiplicandæ: ergo idem est de virtute formativa feminis. Quinto substantia illa feminis est similis cuiusdam substantie, qua membra solida nutriuntur, scilicet medulla ossium. Vnde ea membra solida feminaria solent appellari, & Plato dialogo de natura medullam ipsam semen appellat: ergo sicut in alijs membris solidis medulla fit à virtute nutritiva, ita in hoc, de quo loquimur, semen fit à virtute nutritiva, quod est intentum.

Circa alias duas quaestiones maior est difficultas, & à tertia incipiendo, videtur sanè quòd virtus residens in semine ad organizandum corpus, fit longe alterius rationis à virtute nutriente. Et probatur. Nam virtus nutritiva est ipsiusmodi temperamentum viventis (loquimur enim de virtute dispositiva, nam de alijs dubitatio non est) sed virtus feminis non potest esse tale temperamentum: ergo distincta est. Probatum minor, explicaturque argumentum. Nam in vivente os, v. g. nutritur, quia in eo est temperamentum assimilans sibi cibum: at in semine non est formaliter temperamentum ipsius ossis: ergo virtus illa qua semen fabricat os est distincta ab illa, qua os se nutrit: & idem argumentum est de singulis partibus.

Dices fortè, semen agere temperamento suo tantquam virtute propria, & ita non differre à virtute nutritiva, nisi tantquam temperamentum vnius partis à temperamento alterius. Contrà. Si semen tantum ageret suo temperamento, disponderet solum materiam ad productionem sui similis, vt in singulis membris fieri videmus, id autem non ita est. Nam spiritus ille subtilis, & tenuis format ossa, & omnia membra diversa: ergo non potest agere per temperamentum suum, sed per aliam eminentiorem qualitatem, quæ relideat, & subiectetur in ipsa parte spiritusosa feminis, in qua tantum residet virtus activa.

Et ex hoc ulterius videtur sequi circa secundam quaestione, quòd virtus, quæ est in vivente ad formandam illam partem spirituosam feminis sit omnino distincta à virtute nutritiva. Et probatur. Nam forma illius spiritus, & qualitas est omni-

nò distincta ab omnibus partibus viventis: ergo virtus formativa illius spiritus erit distincta à virtute nutritiva partium. Item virtus nutritiva tantum habet preparare materiam cibi ad perfectam assimilationem substantie aliti: sed illa substantia tenuis nulli parti viventis deferre potest in nutrimentum: ergo non fit à nutritiva virtute. 1. Primo. Nam ille spiritus non fit ex sanguine, vt ex materia, de quo infra, virtus autem nutritiva solum versatur circa sanguinem, cum sanguis sit ultimum alimentum: ergo.

Contrariam autem partem, scilicet virtutem generativam non esse distinctam à nutritiva, sentit Aristoteles 2. de Anima, textu 34. dicens actum vegetativæ potentie esse generare, & alimentum vti, vbi has actiones refert ad eandem potentiam, & textu 42. Clarius scribit, quòd eadem vis animæ generativa sit, & nutritiva, & 2. de generat. animalium, cap. 4. id aperte insinuat. Et probatur. Nam generatio, & nutritio, solum differunt, sicut productio totius, & partis: productiones autem eiusmodi per se loquendo eiusdem rationis sunt, dicta verò diversitas, quasi per accidens: ergo ab eadem virtute procedunt, quod à simili potest confirmari, in igne augente se, & alium generante. Secundo contingit per nutritionem eadem membra integra restaurari, aut partem quandam carnis integram, in qua regeneratur arteria, venaque omnes requiritur, illud autem non fit per modum nutritionis, sed per quandam modum novæ generationis: ergo manet in membris viventis virtus eiusdem rationis cum generativa, hæc autem non est nisi nutritiva. ergo, &c.

Argumenta hæc solvi aliquo modo possunt. Nam Aristoteles illis locis, vt D. Thom. ibi lectione 9. exponit, loqui videtur de virtute principali, non de potentia, vel certe loqui non de virtute generativa existente in semine, sed de ea quæ est in vivente ad efficiendum semen. Ad primam rationem dici potest generationem quidem totius, & partis per se loquendo non requirere distinctas virtutes: attamen ratione diversimodi potest requiri, veluti generatio partium fiat à similibus partibus, totius verò à quodam instrumento minus simili, & ignobiliore. Vnde ad secundum, quod est fundamentum Valesij, respondetur in membris viventis manere virtutem similem generativæ, quantum ad effectum producendum, eam tamen non esse eiusdem rationis, quia modus est valde diversus: vivens enim habet virtutem ad regenerationem partium per similitudinem temperamentum: at vero semen habet virtutem ad formandam membra non per simile temperamentum, quod in se habeat formaliter, ideoque oportet habere per virtutem alterius rationis. Inilabis, vivens quoque nonnunquam regenerare membrum heterogeneum per actionem partium dissimilium. Sed negandum id fieri posse, vt experientia demonstrat, vel si possit aliquando, id quidem fieri per virtutem consimilem generativæ, ac proinde distinctam à nutritiva.

Sed tamen quanvis hæc argumenta solvantur, alterius tamen argumenti numero tertio expositi solutionem adhuc non inuenio: nempe, quæ præsupponit fit hæc virtus in semine residens, aut quo modo possit vnica existens, quæ necessario, & diversa membra tanto ordine componere: nam quòd vulgo dicitur, virtutem illam esse calorem quandam vitalem adiutum caelesti, verba sunt quæ rem non explicant, calores enim illi non nisi calefaciunt, ac disponunt ad formam substantialem. Imo eadem difficultas restat, quomodo à calore possit provenire tanta varietas membrorum, & complexionum partialium, quanta reperitur in animantibus.

SVAREZ
de Annelis, op
re 6. d. 1. et
anima.

THOMAS
1. 1. 1.

1. 1. 1.

D. V. 2.

bus perfectis. Quare Scotos hanc efficientiam, femini denegauit, eamque tribuit calo. Sed eadem difficultas vrget de calo, quod naturaliter agit, nec nisi calefaciendo, vel exsiccando. Galenus ergo, vt etiam 2. Phisicorum dixi, diuinam (inquit) hanc esse virtutem, & que procedere nisi ab aliquo habente intellectum nequeat. Quod etiam Trimegisti. apud Eugubinum c. 3. aperte sentit, dicens, *cognita d fili hominem in vtero materno compositum, Cotamque opificiu artem diligenter perpende, & discite quis sit opifex, qui hanc homini pulchram, diuinamque imaginem fecerit, quis oculos formauerit, quis naves & aures terebrauerit, quis aperuerit, quis nervos tetenderit, aspice quot artes vnus materia, quot opera vna circumscriptio, cunctaque pulchra, cuncta cum mensura, cuncta seorsum, quis hac omnia fecit, que mater, quis pater, nisi inuisibilis Deus, qui sua voluntate cuncta operatus est.* Ego quidem certo hanc virtutem esse altissimam, & multum ab alente distinctam, quod etiam dicitur Galenus libr. de formatione afferit: attamen quid sit, & quomodo operetur, non assequor.

De virtute vero formatiua spiritus inclusi in semine arbitror non esse distinctam ab anima viuētis generantis, si loquamur de virtute inductiua forme substantialis, si autem loquamur de virtute dispositiua, illa est calor vitalis, & cordis dispositio materiam ad productionem spirituum vitalium, & ideo Arist. 2. de gener. animal. c. 1. aperte asserit virtutem formatiua feminis esse calorem naturalem. Non esset etiam improbabile putare illam virtutem esse qualitatem aliquam distinctam, & perfectiorem, sed in ea re nihil habeo certum, & exploratum. Ex his omnibus colligitur diuisionem potentie vegetatiua, quae tradi solet in nutritiua, augmentatiua, & generatiua, non esse sumendam tanquam impotentias distinctas realiter, sed potius dari ad explicandum actus omnes animae vegetatiua.

CAPVT XI.

Quodnam sit potentia nutritiua subiectum.

In hac quaestione non quaerimus an sit in materia, vel in toto composito nutriendi virtus, nam quid de hac sentiendum, alibi diximus. Quaestio ergo est, in quibus partibus viuētis residet? Quidam sentiunt talem potentiam non subiectari in parte aliqua viuētis, eo quod alteret eas omnes, vnde in aliqua earum esse nequit, alias pars viuētis alteraret seipsam, sed hac sententia impossibilis est, quia nutriendi potentia est temperamentum viuētis, vt supra est ostensum: ergo in ipso viuente residet. Quod si contendas esse proprietatem, quae animam comitatur, melius concludit argumentum. Nam omnis proprietates consequens formam debet esse in habente formam. Ad hac actio nutritiua intrinseca est ipsi viuenti, si autem potentia illa esset in subiecto non viuente, extrinseca esset viuenti, consequenterque nutriendi actio esset illi extrinseca, nam illius est actio, cuius est potentia: non esset ergo actio vitalis, neque seipsum viuens nutrirer: certum ergo sit dictam potentiam esse subiectiue in viuente.

Sed quaestio restat, an sit in toto, an in parte, quam quaestione indecisam videtur reliquisse Aristotel. libr. de spiritu, capite tertio. At in secundo de generatione anima, l. cap. quarto, & de iuuentute, & senectute l. capite quarto, quaestione definit, dicens nutriendi potentiam esse in corde, vel in parte proportionali quoad animantia, quae cor non habent: ab illaque communicari partibus alijs. Sequitur etiam Auicenna Fen prima primae, doctrina 6. cap. 1. Porro illam communicationem

Francisc. Suarez de Anima.

explicant aliqui fieri per spiritus naturales, Galenus tamen libro sexto de placitis, virtutem nutritiua, quam naturalem vocat, in hepate collocat, sequutus Platonem dialogo de Natura. Idem tenet Albertus secundus de Anima, tractatu secundum, capite nono.

Circa has sententias supponamus id, in quo conueniunt, membra omnia augeri, & nutriri. Quod ostendimus in primo de generatione, ex eo, quod omnia alimentum alterant, & conuertunt in substantiam suam. Vnde satis liquet non esse ibidem omnino agens, & patiens, quod prima opinio proponebat. Secundo conueniunt quod in omni parte, quae vitaliter nutritur, sit intrinseca virtus ad se nutriendum. Ita Aristoteles libr. de iuuentute, & senectute, capite secundo, dicens omnes partes a primis vitae rudimentis internum, & natium calorem habere, quo cibum conficiunt, idemque colligitur ex 6. de historia, cap. 3. ex 2. de partibus, cap. 4. ex 1. de generatione animalium, cap. 18. & ex libro secundo, cap. 1. Consentit Galenus locis supra citatis. Acceditque ratio, tum quia nutritio actio vitalis est ab intrinseco principio procedens: cum ergo omnia membra nutrantur, omnia habent intrinsecum principium nutritionis. Tum quia quoduis membrum informatur anima, atque etiam fortitur praecipuum temperamentum, item potentiam attrahendi, & retinendi alimentum: haec vero sola sunt principia nutritionis: ergo, &c.

Ex quibus sequitur prima conclusio. Virtus nutritiua non est determinata ad aliquod membrum particulare, sed diffusa per membra omnia, quae proprie vitaliter nutriuntur. Haec, inquam, ex dictis satis habetur. Dixi tamen, quae proprie vitaliter nutriuntur, ad excludendum nonnulla, quae in animalibus propriam nutritionem non habent, sed augentur per extrinsecam additionem, in quibus proinde non est anima, neque propria virtus nutritiua, quid autem in viuētibus vitaliter, vel non vitaliter nutriatur, intelligendum ex modo alimenti, an scilicet fiat secundum omnes partes, conseruando eandem figuram, & proportionem, quam exigit natura vniuscuiusque partis: tunc enim nutritio vitalis erit: si vero non nisi per additionem nouae partis ad aliquod extremum fiat, tunc nutritio, & impropria est, ac veluti mortua.

Et hinc colliges in arbore proprie nutriri radices, truncum, ramos, folia, & fructus. Nam omnia haec habent distinctum modum nutritionis. In animali etiam alio, atque alio modo nutriuntur proprie caro, nerui, membranae, venae, arteriae, & similia, imo etiam diuersimode sentiunt: ossa item proprie nutriuntur, & animam habent, vt experientia demonstrat. Vnde Aristotel. 2. de partibus, cap. 6. tribuit ossibus in alimentum medullam, aitque habere teporem, id est, calorem remissum. Similiter, & dentes nutritiua vendicant, vt patet ex proprio sui augmenti modo, & continuitate cum alijs partibus viuētis, de quibus proinde Aristoteles secundo de generatione animalium, cap. 4. scripsit eiusdem esse naturae cum ossibus. Idem est iudicium de cartilagine, quae parum ab osse differt, vt secundo de partibus, cap. 9. dicitur, & tertio de histor. cap. 8. Quod etiam opinor de vnguibus: sunt enim propriissime partes animalis, ac per se ordinatae ad quandam vitalem actionem, nempe ad firmiter apprehendendum, vt Galenus obseruat primo de vsu partium, in principio. Adde vngues crescere secundum omnes partes, seruata eadem figura, & proportionem instar aliorum membrorum, vnde reuulso forte vngue alter paulatim generatur non minus, quam os, vel neruus: atque haec est sententia Galeni de anatomicis administrationibus, cap. vlt. in fine,

& Diui

Tertia opinio Galeni, ex Platone, quam sequitur Albertus.

Prima opinio, ex vnde constat.

Corollarium de vitalitate partium in plantis, & animantibus.

Vide auctoritatem ad 3. p. como 1. diff. 1. 1. Consimb. l. 1. de gener. c. 4. q. 23. qui aliter refertur.